

minis Nicolao quondam domini Bernardi de Altemanno legum doctore, Petro Nano de Maran. de Vincenc(ia), Çenone de Mastega et Bernardo quondam domini Ranucii civibus Veronen(sibus) testibus vocatis et rogatis. Ibique nobilis et magnificus dominus Albertus de la Scala comunis et populi Veron(ensis) capitaneus generalis fecit et constituit suum specialem nuncium et procuratorem nobilem dominum Bertholameum primogenitum eius penes eum comunis et populi eiusdem capitaneum generalem, ibidem presentem et mandatum sponte suscipientem, ad contrahendum et faciendum societatem, confederationem et unionem de novo cum illustris^a dominis Ottone et Lodoeyco pro se et domino Henrigo eorum fratre vel procuratoribus ipsorum ad predicta specialiter constitutis et ad faciendum nova pacta et convenciones in dicta societate, unione et confederatione; et generaliter ad faciendum quecumque pacta, convenciones, obligationes, promissiones cum pena et sine pena, et ad renunciandum exceptioni doli mali et in factum, condictioni sine causa vel ex iniusta causa et quibuscumque beneficiis legum et canonum, et ad iurandum in animam predicti domini Alberti observandi et manutenendi societatem, unionem et confederationem ac singula in ipsis contenta inviolabiliter, perpetuo vel ad tempus, secundum quod per ipsum procuratorem facta fuerint et firmata. Promittens suprascriptus dominus Albertus dicto procuratori presenti et michi subscripto notario solempniter^b stipulanti, vice et nomine suprascriptorum dominorum ducum ac ipsorum procuratorum et omnium aliorum, quorum intererit vel interesse poterit, se firmum et ratum habere et tenere et nunquam contra facere vel venire per se vel alium, de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, quicquid per ipsum procuratorem dictum, actum, tractatum, factum seu ordinatum fuerit in predictis et singulis predictorum, sub obligatione omnium suorum bonorum. In quorum omnium robor et firmitatem presens instrumentum iussit sigilli sui pendentis robore communiri.

Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indic. decima.

EGO Bonaventura de Sancta Sophya imperiali auctoritate notarius his interfui et rogatus scripsi.

Auf der Rückseite von derselben Hand: Instrumentum procur. domini Alberti de la Scala ad unionem et confederationem cum dominis . . . Karinthie ducibus ineundam.

Mit gut erhaltenem Siegel am Pergamentstreifen.

a) So Or. b) 'soleniter' Or.